

Confessor dulcis, affabilis, atque ſuavis
Prudens, diſcretus, mitis, pius atque benignus.
Quæ quidem in Confefſariis Indorum elucere
quammaximè oportet; ſin minus, reconciliare
eos Deo non poterunt confeſſionis beneficio,
vnde grauius criminum rei cum eiſdem dam-
nationis periculo ſubiacebunt.

CAPVT VI.

Indorum Parochis quæ obligationes
circa Sacramentorum aliorum ad-
ministrationem incumbant.

Aſſertio 1.
In diebus
communio-
nis ebrie-
tatis occa-
ſiones ſub-
monenda.

1. Cor. 10.
v. 20.
& 21.

v. 22.

Aſſertio 2.
Tenent Pa-
rochos ad
exactiſſi-
mam in-
ſtructionem.
Et qualis
in ſpeciali
ſunt.

78 **P**ro Euchariftia conſulantur dicta
in ſine Cap. 2. & locis ibidem citatis,
pro quo item
Dico primò. Cùm Indi in præcipuis feſtiui-
tatis communicare ſoleant, eorum Parochis
maximè curandum eſt, ne in diebus huiusmodi
occaſiones ebrietatis occurrant, ſed ad Eccleſiam
vocandi, & deuotè ſunt iterandæ cantilenæ, ne
eodem die, quo Calicem Chriſti guſtant, quoad
rem quidem contentam in eo, licet non quoad
modum, guſtent etiam calicem Dæmoniorum,
quod Apoſtolus 1. Cor. 10. v. 20. & 21. cauend-
um monuit dicens: *Nolo autem vos Socios fieri
dæmoniorum: non poteſtis Calicem Domini bibere, &
Calicem dæmoniorum: non poteſtis menſam Domini par-
ticipes eſſe, & menſam dæmoniorum.* Notabilis pro-
fectò altiſſimi Sacramenti ea videtur iniuria, quam
debet Parochus amoliri: & ſi quidquam eo inſcio
huius generis accidat, non debet impunitum re-
linqui. *An amulamur Dominum?* ſubdit Apoſto-
lus, v. 22. *Quod ſic licet accipiamus: vbi æmu-
latio, vbi zelus pro Dei honore, ſi hic non
exardeſcit?*

79 Dico ſecundò. Parochi Indorum tenentur
ad exactiſſimam inſtructionem circa hoc Sa-
cramentum. Conſtat ex generali obligatione:
quod autem exactiſſima circa hoc eſſe debeat, ex
eo quòd, ſi talis non ſit, grauiſſimè poſſit circa
illius fidem & vſum offendi. Exactiſſimam autem
dico, non abſolutè, ſed comparatiuè, reſpectu ſci-
licet eorum, de quibus agimus, quibus fat. erit
credere in Hoſtiã & Calice eſſe Chriſtum, ſed
non prius quàm ſacerdos in Miſſã verba Conſe-
crationis proferat: & eundem, qui in Hoſtiã
eſt in minoribus illis, quæ pro communicanti-
bus conſecrantur. Vide P. Dicatillum *Tractat. 4.
Diſput. 10. numer. 126. & 127.* de Peruanis in
ſpecie loquentem, cùm generali doctrina. Sic
iplum voluiſſe pro magno fidelium bono, vt
amoris argumentum exhiberet, & pignus gloriæ
daret. Accipiendum præmiſſa mortalium pecca-
torum confeſſione, & aliter grande committi
peccatum, & accipientem debere ieiunium.
Aquam, quæ poſt Communionem datur, non
eſſe Sacramentum, aut aliquid illius, ſed ideò
dari, ne quidquam ex accepto Sacramento in ore
reſideat. Nam & hoc infantibus iſtis exponen-
dum eſt, circa quod errare aliquorum poteſt pu-
ſilla capacitas, dum in ætatem non euadunt plen-
itudinis Chriſti; quod & condonandum iſtis
nam & nos infirmi fuimus in hac parte; & ſerò
ad perfectionem notitiæ peruenit conuerſa Gen-

tilitas. Sunt multi eorum, vt aliàs adnotui, Eu-
ropæis plurimis in diuinorum ſcientiã neutiquam
inferiores: & id agitur, vtinam ſerid ab omni-
bus, vt ſimiles nobis in ea euadant, ſintque omnes
docibiles Dei, quod ab Iſaia dictum *Cap. 54. v. 13.*
& implendum circa Euchariftiæ myſterium te-
ſtatur Dominus. *Ioan. 6. v. 45.* vbi de illo plenius
differebat.

Iſa. 54.
v. 13.
Ioan. 6.
v. 45.

80 Dico tertio. Parochi Indorum tenentur
ſub reatu mortalis culpæ Paracianos ſuos Diſpo-
nere ad receptionem Confirmationis. Ratio eſt
elara; quia ius habent ad illud, quidquid de obli-
gatione ſit, & eo ipſo quòd ſuſcipere velint, con-
ſequenter inſtructi debent accedere, atque ius
etiam habent, vt à Parochis ſuis eam requirant
inſtructionem, quæ pro dignâ ſufficiat receptio-
ne. Nec valet ſi dicatur id ad Episcopum per-
tinere, ad quem & collatio Sacramenti: nam E-
piscopum Indiari ordinariè id præſtare nequeunt,
quia neque Indorum linguam callere ſolent, ne-
que diutiùs apud Conſirmandos reſidere. Præ-
terquam quòd ex collatione ad Episcopum ſpe-
ctante non inferitur ad eum omnimodam diſpo-
ſitionem ſpectare; quemadmodum ad ipſum ſpe-
ctat collatio Ordinum, cùm tamen diſpoſitio ad
illos aliunde ſupponatur. Ideò namque Episcopis
inferiores Paſtores dantur, vt ſint pro eorum
muneribus adiutores. Sufficiet autem Indi ſi
ſciant Confirmationem eſſe rem ſanctam à Chri-
ſto inſtitutam ad firmandos Chriſtianos in fide,
vt reſiſtant veneficis, & ſeductoribus, miniſtris
diaboli; iterari non poſſe; quod inculcandum,
quia ſolent Indi ſæpiùs ad illud recipiendum ac-
cedere: atque ad tale Sacramentum ſuſcipien-
dum debere in ſtatu eſſe gratiæ, contritione, aut
Confeſſione præmiſſa. Quia verò Indi commu-
niter difficile eſt contritionem habere, ad Con-
feſſionem excitandi ſunt. Sed quia probabile eſt
per Confirmationem poſſe primam gratiam ha-
beri, ſi quis bonâ fide cum dolore peccatorum
accedat: ſi Confeſſionem commodè præmittere
nequeant, ad contritionem ſunt permouendi, ex
quo ſaltem habebitur vt attritionis actum eli-
ciant, qui ſufficiens erit diſpoſitio, accedente, vt
dixi, bonâ fide. Debet etiam Patrinus huius Sa-
cramenti in libro adnotare, ſicut in Rituali Ro-
mano diſponitur. Circa quod obſeruandum in
Appendice prædicti Ritualis ex Toletano additã
pag. 413. dici cognitionem ſpiritualem in hoc
Sacramento contractam non egredi Conſirman-
tem & Confirmatum, & huius patrem & ma-
trem. Vbi de Tenente mentio nulla eſt, inter
quam etiam & Confirmatum ac eius parentes
ſpiritualem cognitionem contrahi determinat
Concilium Tridentinum *ſeſſione 24. Cap. 2. de
Reformatione Matrimonij.* Pro quo videri poteſt
P. Thomas Sancius *Lib. 7. de Matrimonio Diſput.
54. numer. 10.* Videtur ergo in citato loco defe-
ctus manifeſtus, cùm ad Concilij Decretum re-
miſſio fiat, & non ſpeciale aliquid circa Hiſpaniæ
conſuetudinem indicari. Expediit autem vt Indi
Patrini non ſint, ne impedimenta Matrimonij
multiplicentur, ſicut in Patrinis Baptiſmi Con-
cilium Limenſe tertium præcauiſſe vidimus *num.
60. & ſeqq.*

Aſſertio 3.
Obligari
grauiter ad
diſponendos
Indos pro
Confirma-
tione.

Notandum
circa cog-
nationem
ſpiritualem.

81 Sacramentum Extremæ Vnctionis ad
Parochorum curam omnino pertinet, vnde pro
illo,

illo, præter dicta Titulo 12. Cap. 12. vbi & ipſo-
rum obligatio declarata.

Aſſertio 4.
Tenent co-
ferre Ex-
tremam
Vnctionem.

Dico quartò. Parochus non ſolum ex gene-
rali obligatione tenetur Indis Sacramentum Ex-
tremæ Vnctionis conferre, ſi videlicet aliquomo-
do petant, ſaltem interpretatiuè, ex eo quòd ita
affecti erga ſaluationem ſunt, vt ſi memoriæ oc-
curreret, omnino peterent: ſed ex ſpeciali etiam
offerre, & nihil de eo curantes ad illius ſuſceptio-
nem adhortari. Primum tenent communiter
Theologi, pro quo videri poteſt P. Gaſpar Hur-
radus *Tractatu de Extrema Vnctione Difficult. 12. in
ſine, Diana Parte 5. Tract. 3. Reſolut. 83.* & alij &
videtur ita certum, vt inde orta ſit grauis inter
Theologos difficultas, eiſdem diuerſimodè ſen-
tentiis, an ſcilicet talis obligatio vrgeat, etiam
cum periculo vitæ, vt tempore peſtis, & ſic aliàs:
& qui negant, & videri apud Dianam poſſunt
ſupra & etiam Reſolut. 93. non vnã exceptio-
nem adhibent, & ad id reducitur, vt ſi receptio
Sacramenti ad ſalutem æternam ægotantis vi-
deatur neceſſaria, non poſſit illud ob mortis peri-
culum denegari. Secundum autem ex iis quæ dixi-
mus Titulo 12. numer. 355. & ex modo allatis
conſtat: nam Indi ob defectum capacitatis de-
eſſe neceſſarius dolor in Confeſſione potuit, &
ſic ſtatim conſcientiæ non fuiſſe immutatam,
poſtea tamen talis excitari potuit, qui cum Sa-
cramento Extremæ Vnctionis ſatis fuerit ad eor-
um iuſtificationem. Poteſt ergo æterna multo-
rum ſalus in huiusmodi adminiſtratione conſiſte-
re: quod cùm frequenter accidere queat, pecca-
bunt grauius Parochi, ſi tale negligant ſubſidium
exhibere.

Et etiam
offerre. &
hortari ad
illum.

Concilium
2. & 3.
Limenſe.

82 Pro quo & extat Concilij Limenſis Se-
cundi Decretum *ſeſſione 13. Cap. 75.* à Concilio
tertio innotatum *Act. 2. Cap. 28.* cuius hic eſt tenor:
*Extremæ Vnctionis Sacramentum nulla ratio
paſſitur Chriſtiani morbo periclitantibus denegari: ne
ergo poſt hac quorundam Parochorum deſidia friuola de
hoc excuſationem prætereat, innotato Superioris Synodi
Decreto ſtrictè mandamus omnibus Indiſ fidelibus, atque
Eſchopis, per ſuos Parochos, ſuo tempore penitenti-
am oſtendentibus, hoc Sacramentum adminiſtrari: at-
que inter cetera à Viſitatoribus diligenter de hoc inquiri
pœnaſque arbitrio Ordinarj negligentiſſimis imponi. Hęc
Concilium. Vbi cùm oſtentionem penitentiæ
requirit verbis illis: *ſuo tempore penitentiam oſten-
dentibus*, ex eo colligi nequit, eum, qui ſubito
morbo corripitur, & ſenſibus deſtituitur, hoc eſſe
ſe Sacramento defraudandum: ſi enim manifeſtè
in ſtatu peccati mortalis non ſit, non eſt illi de-
negandum, vt in Rituali Romano dicitur, & eſt
communis Doctorum ſententia, qui videri apud
Dianam poſſunt *Parte 3. Tract. 4. Reſolut. 171.*
vbi cum aliis id extendit ad tempus Interdicti, de
quo & *Tract. 3. cir. Reſolut. 84. & 89.* Verum eſt
tamen Doctores omnes de neceſſitate non loqui,
ſed tantum aſſerere id licite fieri poſſe. Zambra-
nus tamen de Sacramento Extremæ Vnctionis
Cap. 5. Dub. 2. num. 3. Syluius, quem adducit &
ſequitur Baſſæus verb. *Exaroma Vnctio 2. num. 3.*
5. Adverte, & alij, neceſſarium eſſe aſſerunt, &
duo poſtremi etiam cum periculo vitæ. Conci-
lium ergo iuxta Rituale exponendum, pro quo
& Concilium ipſum Tertium *Actione eadem Cap.
37.* Et videnda quæ diximus *num. 19.* vel de o-*

ſtentione interpretatiua penitentiæ, de qua nu-
per. Quòd ſi aliquantulum dubitent, ſub condi-
tione miniſtrent, ſicut aliàs licet, & habetur in
Ritualibus, & de pueris, de quibus dubium eſt an
vſum rationis habeant, docent Doctores, quos
citatur & ſequitur Diana *Tractat. 3. cirato Reſo-
lut. 85.*

Reſtat Sacramentum Matrimonij, circa quod
multa diximus Titulo 12. Cap. 14. & ad doctrinæ
complementum

83 Dico quinto. Parochi Indorum pro ad-
ministratione huius Sacramenti, eo modo, quo
adminiſtratio ad ipſos ſpectare poteſt, nihil poſ-
ſunt à contrahentibus exigere; iuxta dicta *num.
21. & 22.* & ſi exigant, ad reſtitutionem tenentur;
quia præter ſimoniacam labem, genus rapinæ eſt,
dum ab inuitis extorquetur. Non poſſe etiam
oblatum recipi, ex *ibidem* adductis conſtat, cùm
moderatione adhibita. Vbi ſi pecunia intrerue-
niat in ipſo adminiſtrationis actu, aut quid ſimi-
le, eadem videtur reſtitutionis obligatio: rarè e-
nim Indi hæc vltro faciunt. Si autem poſt actio-
nem ſacramentalis aliquid miteratur; accipi
ſine ſcrupulo poteſt, quia vltro eum eſt, vt potè
ad nuptialem ſolemnitatem ſpectans, & non ſine
mittentium oſtentione poſſet repudiari. Et pro
prædictis faciunt duæ Declarationes Cardinaliſ
in Recognitione Ioannis Gallemt circa *Cap. 1.
ſeſſionis 24. de Reformat. Matrim.* quarum prior
ſic habet: *Perenti an ob difficultatem exigendi id,
quod Parochus debetur ante benedictionem ex laudabili
conſuetudine, poſſint cogi coniuges ad illud deponen-
dum contra Abbatem, in Cap. Ad Apoſtolicam n. 2.
& 4. in ſine, Congregatio reſpondit, petitioni indignæ
non eſſe reſpondendum.* Erat ergo indigna Parochi
petitio; quia nihil tale ante benedictionem exigi
poteſt. Poſterioris tenor ſequens eſt: *Congregatio
Concilij cenſuit conſuetudinem ab his, quorum nuptiæ
benedicuntur, aliquid recipiendi, demum eſſe obſeruan-
dam, ſi ab initio pro fidelium voluntate, nullâ exa-
ctiõne aut compulſione fuerit introducta & nec etiam à
ſponte dantibus quidquam recipiatur antequam benedi-
ctionem Sacerdos liberè fuerit imperitius. Hęc Cong-
regatio, cauſa præſenti, iuxta nuper dicta,
penitus adaptanda.*

Parochos
pro ſe quæ
ad Matrimo-
nium
ſpectant,
nihil exi-
gere poſſe.

Dua pro
eo Cardi-
nalium
Declara-
tiones.

Aſſertio 6.
Ritus Ro-
mani
cum Indi
exactè ſer-
uandus.

84 Dico ſextò. Ritus nuptiarum in Ma-
trimonijs Indorum exactè obſeruandus, ſicut in
Matrimonijs Hiſpanorum quoad omnia, quæ in
Ritualibus Romano diſponuntur. Probatur ex di-
ctis *cir. n. 19.* Concilium etiam Limenſe de illis
ſpecialiter loquitur: Licet autem aliqua non vi-
deantur magni momenti, & ita neque omiſſio
lethalis, alia autem grauiora ſunt, vt quòd ſecun-
dæ nuptiæ non benedicantur, quando vidua nu-
bit iam aliàs benedicta. Quòd autem ſponſus
prior de conſenſu interrogetur, vt Romanum Ri-
tuale præſcribit, non videtur in Hiſpania, & con-
ſequenter in Indijs obligare, quia in Appendice
Ritualis prædicti, ex Manuali Toletano & Hi-
ſpaniæ veteri vſu, contrarium proponitur aucto-
ritate ſupremi pro iſtis Commiſſarij. Ellicet in
Præfatione dicatur, nihil contrarium Rituali Ro-
mano in Appendice apponi, ſed quædam addi
ad maiorem recipientium Sacramenta vtilitatem
illius Rubricis conformia, cui proteſtationi præ-
dicta contrarietas videtur obſtare, & ita non eſſe
id quòd additur, admittendum. Stat nihilominus

Quadam
contrarie-
tas ex Ap-
pendice
Ritualis
Toletani.

Concilium Trident.

id, quod diximus, quia cum iuxta Concilium Tridentinum Sessio 24. Cap. 1. de Reformat. Matrim. Sic habetur: Si qua Provincia aliis ultra predictas laudabilibus consuetudinibus & ceremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat: id Rituale pariter observandum vult, ut constat ex Rubrica posita in fine Ritus celebrandi Matrimonium. Quia facultate sibi videntur Ecclesie Hispanie consueverunt, ut in Appendice habetur pag. 414. Praefatio ergo de Matrimonio non procedit, unde alia etiam circa ipsum aliquatenus diversa in Appendice proponuntur. Quale est illud post consentium coniugum exploratum: Sacerdos ponat manum dexteram sponsi super manum dexteram sponse, & dicat: Ego vos &c. Sic pag. 420. cum tamen in Rituali pag. 221, sic habeatur: Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Sacerdos iubeat eos invicem iungere dexteram, dicens: Ego coniungo &c. Et hoc profecto magis iuxta honestatem & decorem apparet; quamvis id quod in Appendice dicitur, ita posuit exponi, ut Sacerdos non debeat sponsam tangere manum, sed sponsi, dum eam manui sponsae superponit. Et sic forte alia. In quo quidem servanda consuetudo, & sic circa Matrimonij ceremonias accipiendum, quod a Concilio est Limentis decretum, ut observari scilicet debeat ad vnguentum Rituale Romanum, nisi ubi illud laudabili dicat standum esse consuetudini.

Assertio 7. Vt nuptiae sine superstitionibus & ebrietatibus celebrantur, cura Parochorum est, & graviter vrgentis

Tob. 6. v. 18.

Continencia Indorum exemplum.

Timor damni an excusante Parochos non impediendes possit.

85 Dico septimo. Parochi Indorum conari debent ne nuptiae ebrietatibus, & superstitionibus ex Gentilitate residuis, celebrentur. Quod enim sanctum est, non debet diabolicis additamentis temerari. Possunt Indi circa praedicta instrui & instructionis ita capaces sunt, ut mirum sit quantum in aliquibus lex continentiae praevaleverit. Inveniunt sunt, qui post nuptialem benedictionem per dies aliquot se continuerint, iuxta Angeli monitum ad Tobiam iuniorum: Per tres dies continens esto, &c. Tobie 6. v. 18. donec Confessarii facultate percepta, ad quem sibi recursum habendum decreverant, ad sobriam illius usum procefferunt. Discant omnia, & quae didicerint moribus expriment, si ab his, ad quos doctrina spectat, ut eorum munus exigit, doceantur. Videantur num. 79. sunt tamen qui se timore damni imminetis excusent, quia Indi poculis immerfi, si retrahi ab impotenti huiusmodi voluptate curentur, saevire in sic retrahentes solent: unde & inventus est Parochus, qui coetibus ad crapulam institutis benedictionem daturus accedebat, a coniugis inquitatus: timebat enim ne contra se in furorem acti vterentur. Sed certe ibi multi trepidaverunt timore, ubi non erat timor: id enim contendimus; cura & sollicitudine Parochorum agendum, ne nuptiae ebrietatibus profanentur: quod scilicet ad illas nequaquam veniatur, hortamentis iteratis, comminationibus, & aliis mediis, quae charitas & prudentia dicitur. Quod autem ebrietates futurae non sint, non poterit semper humana industria cauere: quia non potest Parochus coniuorum calices ad certum numerum moderari. Ebrietate autem extante, non ideo omnimoda est permittenda licentia, ut ad summum illa se porrigat, & damna extrema subsequantur. In id ergo iuxta virium possibilitatem incumbendum, Dei implorato auxilio, & San-

cti populo Tutelaris. Nec dissidendum quando divinae gloriae causa agitur, eius gratiam desuturam. Quod autem Parochus ille circa mensae benedictionem faciebat, indecorum censebat ipse, sed timori id dabat canis mutas, nec valens latrare, unde & vexilla, quae in processionibus portari solent, sinebat ad epulum populare deferri. Fateor, si timor grandis mali ex iis erat, qui cadere in virum constantem possunt, exculari a gravi peccato quatenus in mensa affidentes Dei bonis misericorditer collatis fruenterent; non vero ut illi eisdem abuterentur; licet contrarium sibi persuasum haberet: vexilla autem deferri ex titulo aliquo accidere poterat, quia scilicet Festum alicuius Confraternitatis agebatur, non vero in contemptum religionis, quod minime permittendum. Sed raro equidem tale quid accidere potest, ut scilicet timor talis sit, qui Parochum ab officij sui opportuna administratione praepediat. Satius ergo fuisset ut Parochus praedictus, nihil pro Deo aulurus, in domo, aut in cella, sibi vacans tantummodo, resideret. Et haec pro Sacramentis.

CAPUT VII.

Indorum Parochi erga morituros, & mortuos, ut se gerere debeant.

86 Consulenda circa hoc instructio, quae in Rituali Pauli V. habetur, ibi enim luculentior ostenditur quomodo debeant Parochi aegrotantes inuisere, & periclitantibus assistere; quod quidem circa Indos maxime oportet observari. Unde

Dico primo. Parochi Indorum gravissime peccant, si eos morbo periclitantes deserant, Sacramentorum administratione contenti, quando ad id fuerint aduocati. Constat ex gravissimo eorum damnationis aeternae periculo: sunt enim facile mobiles siue ad bonum siue ad malum. Et licet peccare contingat in mortis periculo constitutos, non audent Confessarium accersere, neque obligationis suae plenum conceptum efformant, morbi quatione distenti. Solent etiam inter eos diabolici esse ministri, qui in extremis videntes diabolicam malignitatem pervertunt: & ut ait Concilium Limentense tertium Act. 2. Cap. 42. eorum tanta est nequitia, ut vno die evertant, quid quid a Christi Sacerdotibus per annum edificatur. Quae omnia curam debent Parochorum accendere, cum sit certum animam pro anima, quae perierit, si torpuerint, reddituros. Et quidem cum Doctores communiter affirmant, etiam cum periculo vitae, debere Parochum Paroecianis suis Sacramenta conferre, ne scilicet illi iacturam animarum subeant, talibus destituti subsidiis; satis ex eorum constanti assertione colligitur, Parochos non posse sine grauis criminis reatu illis deesse, qui eorum assistentia indigent, secluso vitae periculo, licet incommodum sint aliquod perpeffuri. Quod si nonnulli sunt, qui secus sentiunt, ea certe ratione mouentur, quia vitae tuendae ius naturale est, & charitas in homine incipit a se ipso: supponentes plane obligationem vrgere quando periculum tale non imminet. Pro quo P. Bauny Tomo 1. Tract. 10. Quaesit. 35. sup. ab eo dicitur

Assertio 1. Assistenda periclitantibus gravissimum esse Parochi obligationem.

Concilium Liment. 3.

Ex communi Doctorum sententia cuiusdam arguendum.

Assertio 2. Et absolute illis Indulgentias praefertim Cruciatas.

87 Dico secundum. Sciant Parochi Indorum posse Indos ab eisdem absolui ab omnibus peccatis iuxta dicta Titulo 12. Cap. 11. & praeterea Indulgentias illis applicandas sunt, quae in Bulla Cruciatas conceduntur: illam enim Indi suis in oppidis residentes communiter sumunt, & aliquando etiam ad fumendum compelluntur: vel si quae alia aliunde habeantur. Et hoc sedulo accurandum est, quia Indi poenitentias impositas obliuioni tradere solent, unde Charitas Pastorem debet impellere, ut grauem satisfactionis sarcinam eo facient remedio leuiorem. Et quidem cum Parochi Indorum eos ordinare ad sumendum Bullam impellant, inhumanum videtur, ut cum illa esse ipsis magis proficua potest, tunc circa illam negligentes habeantur. Unde non immerito affirmari potest eos in hoc grauius peccare, quia Indos ingenti fructu spirituali sua negligentia defraudant, & ingentium poenarum oneri obnoxios relinquunt, a quo eos possunt facile liberare: quod quidem a Pastoris officio maxime alienum esse quis non videat? Et ita etiam in eo plus quam leuem reatum admiserit. Et est illud iuxta commune de charitate doctrinam, ex qua habetur grauius peccare eum, qui damnum graue alicuius non impedit, cum possit sine suo: & in hoc fundatur obligatio fraternae correctionis; quia scilicet debemus proximi malum imminens propulsare. Quod si obligatio ratione officij vterius accedat, iam non solius charitatis, sed iustitiae etiam negotium agitur. Et tale est officium Parochorum, in quo charitatem & iustitiam conuenit; bene post alios obseruat P. Bauny Quaesit. 35. citata.

Assertio 3. Ex defunctorum Indorum bonis nihil a Parochis usurpandum.

Concilium Liment. 3.

Quinta bonorum pars non debet necessario ab hereditibus pro anima defuncti expendi.

Synodus Diocesana Limentis specialibus assignens.

88 Dico tertio. Id quod a Concilio Limentensi tertio Act. 2. Cap. 39. circa defunctos Indos decernitur, omnino seruandum est, sic autem habet: ex bonis Indorum, qui decedunt, Parochi partem aliquam nullatenus usurpare praesumant, etiam sub illo praetextu, quod quintam eorum portionem pro defuncti anima erogare velint: sed integrum sit Indis de suis bonis disponere ut ipsis placuerit. Quod si ab intestato decesserint, ad heredes, quid pro anima defuncti erogandum sit declarare pertineat. Haec Concilium. Quae quidem sancte proposita, ne circa hoc Parochi ignorantia laborarent. Sed certe omni tali sanctione seposita, obligatio iustitiae Parochos sub reatu peccati mortalis vrgeret. Nam cum legitimi successores sint per leges constituti, nequit ab illis subtrahi, quod ad ipsos constat pertinere, nisi crimine rapinae commisso. Cumque illi non teneantur quintam hereditatis partem pro anima defuncti expendere, sed tantum ad competentem funeris impensam, ut videri potest apud P. Molinam Disput. 162. s. Quando quis, contra eorum ius aperte sit totum illud expendendo, unde & obligatio restitutionis est clara, iuxta prudentem aetimationem, non enim est ex integro facienda restitutio, quia & heredes competentes debebant funeris expensas facere, & aliqua pro defuncti anima pariter erogare. Circa quod specialius aliquid statuit Synodus Diocesana Limentis Lib. 5. Titulo 2. Cap. 6. quod scilicet si Indi habentes filios dicant ut post mortem suam bona distribuatur pro Missis, Parochi id non faciant, sed tantum quintam partem post soluta debita & legata, & quod secus facientes ad

restitutionem teneantur. Si vero habeant ascendentes, tertiam partem, iuxta leges Regni. Pro quo etiam Synodus Pacensis Lib. 1. Tit. 2. Cap. 13. Et pacensis ubi quod pro intestatis, si Caci quij sint, aut principes, non plures quam quadraginta Missae dicantur. Quod iam Limentis statuerat Lib. 1. Tit. 5. Cap. 19. ubi quod pro pauperibus dicantur quatuor aut sex, & non cantatae. Si quid autem bona fide factum fuerit, restitutionis obligatio cessabit, dummodo Parochus ex dispositis non sit factus locupletior, iuxta communes regulas in materia restitutionis. Et ad hunc modum philosophandum est de aliis, in quibus Parochi nonnulli grauaere conscientias solent ita manifeste, ut non sit opus circa illa quaestiones agitare, sed ut ipsi conscientias reconueniant suas, & grauatias eas deprehentes, conentur Deo & proximis satisfactionem iustam exhibere.

CAPUT VIII.

Quaedam alia pro Indorum Parochis.

89 Dico primo. Parochi Indorum grauius peccant si ad expugnandos Indos proficiscantur. Pro hoc stat Limentense Concilium tertium Act. 2. Cap. 7. sic decernens: nemo ex Clericis, qui doctrinam Indorum praesunt, vel alias circumque agunt, ad bellum contra Indos, aut alias quascumque expeditiones, ut ministerijs spiritualibus milites iuuet, proficiscatur, nisi de expressa licentia sui Episcopi. Qui secus fecerit, excommunicatione latae sententiae ipso facto subiacet. Sic Concilium, decisionis suae ratione praemissa, quia in huiusmodi expeditionibus leges solent iustitiae violari, & irreparabilia damna deuictis inferri. Quae quidem ratio omnes tangit. Et ita obligatio ad omnes illos extenditur, qui Concilij legibus non tenentur; licet excommunicatio ad illos, sicut neque ad Religiosos, non extendatur. Secus erit si expeditio sit pro defensione, ut modo accidit respectu Chilensium, & Calchaquensium, quorum arma nimis quantum experimur infesta.

Assertio 1. Grauius peccare Parochos ad expugnaciones euntes.

Concilium Liment. 3.

Pena excommunicationis quos tangat.

90 Dico secundum. Parochi Indorum circa praemittendam Confessionem Sacro id praestare debent, quod a Concilio Limentensi tertio Act. 2. Cap. 18. illis, & aliis saecularibus Sacerdotibus, ad quos illius iurisdictionis protenditur, his praescribitur verbis: Celebraturi Sacerdotes nullatenus sacris vestibus induti peccata confiteantur: sed cum Confessione opus habent, antequam se induant, & quidem genibus pronolui id faciant: nec nisi apud Confessarium ab Ordinario approbatum. Qui aliter vel audierit, vel fecerit confessionem, sciat se & praecipiti reum, & salutarem ei poenitentiam iniungendam. Sic Concilium: cuius sanctionis ratio non vna esse potuit: vel quia id decens non apparet, quod eadem inhibetur: vel quia contingere potest, ut qui sacris vestibus indutus confiteatur, non sit ad absolutionem dispositus, ex quo fiet, ut vel sic celebraturus sit, vel si vestes deponat, id non sine adstantium offensione contingat. Sicut quod Confessiones eo modo factae, celerius quam expedit, fiant. Quin etiam quod Sacerdos vestibus sacris indutus, iam mundus supponitur, unde &

Assertio 2. Circa modum in Confessione teneandum.

Concilium idem.

Rationes cur Sacerdos sacris vestibus indutus non debent confiteri.